

seras ac colas silvam caeduam, alio ubi aucupere, sic 6  
 ubi cannabim, linum, iuncum, spartum, unde nectas  
 bubus soleas, lineas, restis, funes. quaedam loca  
 eadem alia ad serendum idonea[m]. nam et in recenti-  
 5 bus pomariis dissitis seminibus in ordinemque arbus-  
 culis positis primis annis, antequam radices longius  
 procedere possint, alii conserunt hortos, alii quid aliud,  
 neque cum convaluerunt arbores, idem faciunt, ne  
 violent radices.

10 Stolo, Quod ad haec pertine[n]t, Cato (6) non male, 7  
 quod scribit de sationibus, ager crassus et laetus si sit  
 sine arboribus, eum agrum frumentarium fieri oportere;  
 idem ager si nebulosus sit, rapa, raphanos, milium,  
 panicum; in agro crasso et calido oleam conditaneam, XXIV  
 15 radium maiorem, sallentinam, orcitem, poseam, sergia-  
 nam, colminiam, albicerem, quam earum in iis locis  
 optimam dicant esse, eam maxime serere. agrum oliveto  
 conserendo, nisi qui in ventum favonium spectet et  
 soli ostentus sit, alium bonum nullum esse. qui ager 2  
 20 frigidior et macrior sit, ibi oleam licinianam seri oportere.  
 si in loco crasso aut calido posueris, hostum  
 nequam fieri et [ei] ferendo arborem perire et mus-  
 cum rubrum molestum esse. hostum vocant quod ex 3  
 uno facto olei reficitur. factum dicunt quod uno tem-  
 25 pore conficiunt, quem alii CLX aiunt esse modiorum,  
 alii ita minus magnum, ut ad CXX descendat, exinde  
 ut vas<a> olearia quot et quanta habeant, quibus con-  
 ficiunt illud. quod Cato ait circum fundum ulmos et  
 populos, unde fro[n]s ovibus et bubus sit et materies,  
 30 seri oportere (sed hoc neque in omnibus fundis opus  
 est neque, in quibus est opus, propter frondem maxime),

1 aucupere *Gesner*. aucupare || 2 cannabim *plurima apographa*, canabim *V* || 3 soleas *Bodaeus*. paleas. || 4 del. *mv* ||  
 5 dissitis *Ursinus*. dessitis || 10 del. *v* || 15 poseam *Nonius* ||  
 16 colmineam *Nonius*. colminianam *Cato* || 17 agrum *v.* agro ||  
 21 seueris *Cato* || 22 del. *v* (et ferundo *Cato*) || 27 uas olearia (uasa  
 olearia *V* et nonnulla *apographa*) || 29 froe *Charisius* ||